

8

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
T V S S I
H V M I D A E P I D E M I C A
M O R B O S P R A E C A V E N T E

QVAM
SVB AVSPICIIS DIVINI NVMINIS
AVCTORITATE ET CONSENSV GRATIOSAE
FACVLTATIS MEDICAE
PRAESIDE

VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
D. ANDREA ELIA BÜCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI
POTENTISSIMI BORVSSIAE REGIS CONSILIARIO INTIMO
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO, FACVLTATIS
MEDICAE SENIORE ET REGIORVM ALVMNORVM EPHORO, IMPERIALIS ACADEMIAE
NATVRAE CVRIOSORVM PRAESIDE, REGLAR. SOCIETAT. SCIENTIAR. ANGLICAN.
ET BEROLINENS. SODALI, ET COMITE PALATINO CAESAREO,

P R O
G R A D V D O C T O R I S
SVMMSQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS MORE MAIORVM LEGITIME CONSEQVENDIS

DIE II. SEPTEMBIS A. S. R. c180cclxiii.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR
IOHANNES HERMANNVS OSPERKAVS
NEOSTADIO - GVESTPHALVS.

* * * * *
HALAE MAGDEBVRGICAE, LITTERIS BEYERIANIS.

DISSERTATIO IN AEGYPTIIS MEDICIS

DR.

T. V. S. I.

HUMIDA EPIDEMICA
MORBOS PRÆCAVANTE

AVCTORITATE ET CONSENSU
FACULTATIS MEDICÆ
PRÆTORIÆ

VIRI ILLUSTRISSIMI ET EXPERIENTISSIMI

D. ANDREA ELIA BÜCHNERO

PROFESSORI PUBLICO

IN ACADEMIA MEDICA

UNIVERSITATIS CAESARIS AVGVSTI

IN AEGYPTO

IN ACADEMIA MEDICA

ET SOCIETATE MEDICA

PRÆTORIÆ

CAESARIS AVGVSTI

IN AEGYPTO

AVCTORITATE ET CONSENSU


FACULTATIS MEDICÆ

PRÆTORIÆ

IOHANNES HERMANNVS OSPERAVVS

PROFESSORI PUBLICO

IN ACADEMIA MEDICA



§. I.



Iam exponendis iis, quae B. L. de *Tussi humida* proponere constitui, me operae pretium facturum esse arbitror. Multi quidem de illa passim tractarunt; sed an omnia tum principiis theoreticis, tum regulis practicis conuenienter tractauerint lucideque explicauerint? merito dubito. Auguratus itaque sum, tentamen meum non vtilitate fructuque plane destitutum fore, satisque scio, multa adhuc de hoc morbo dicenda superesse. Quod si enim Viris quibusdam satis claris non inutile visum fuerit negotium, tractationem morborum quorundam, aut multis obuolutorum obscuritatibus, aut minus exacte consideratorum, redintegrare: cur, quaeso, mihi non liceret idem de hoc morbo sentire? licet mihi ideo non id sumam, vt, me cum hisce ingeniis aliqua ex parte comparari posse, censeam. Quam multi enim, non dicam plerique, sunt, qui ad vnum omnes consentiunt, tussim epidemicam humidam morbum esse omni ex par-

te nocuum, quique falsam suam opinionem argumentis corroborare allaborant; cum tamen, aut in regulis practicis rite condendis occupati, aut ad obseruationes practicas attenti, facile non tantum eorum argumenta falsitatis arguere, sed totam quoque sententiam euertere atque profernere possumus. Adgrediar itaque propositum meum, fructibus sane non leuibus abundans, atque pro virili mea parte adnitar, certitudinis pondus adicere sententiae eorum, qui in curatione eiusmodi tussis humidae adhuc haesitarunt, atque in eadem tollenda, salubritatem illius attendendam esse, pro ea, qua sunt, sapientia, censuerunt. Contra vero ea illis maxime aduerior, qui tussim pro mere noxia reputarunt, quique in curando hoc morbo eius suppressionem omni opera moliendam esse putauere. Plebi, cui dira praeiudiciorum errorumque tyrannis maxime placere videtur, haec quoque opinio fictitia alte est cordi infixata, eademque ita infimam istam multitudinem corrumpit, vt Medicum neque eorum expectationi vlllo modo satisfacere, neque morbum rite tractare posse iudicet, nisi hic specificum quoddam medicamentum actu tum commendat, statimque aegrotorum suorum incommodis per remedia, quae sanior reiiicit praxis, medeatur. Accedit ad prolatam modo materiae, a me pertractandae, vtilitatem, latens morborum epidemicorum natura, (quis enim attentus Operum SYDENHAMII lector, atque eorum, quae de morbis istis immortalis ille Naturae scrutator retulit, accuratus obseruator, eandem latere ignorabit?) quae itaque vltiorem horum morborum requirit inuestigationem. Quum in euoluenda hac materia ordinem quendam in proponendis
veri-

veritatibus obseruare necesse sit; ego quoque, quae praemittenda sunt praemittam. Conuenit ergo *primo*, vt demonstrem, tussim humidam morbos praecauere; *dein* vero vt regulas practicas, ex pathologica argumenti tractatione profluentes, exponam.

§. II.

Accurata huius tussis humidae disquisitio id imprimis requirit, vt ortus eius inquiratur, quod vero sine exactiori structurae partium adfectarum cognitione fieri nequit. Ex Anatomia igitur maxime petenda sunt subsidia, quibus ortus eius clare ante oculos ponatur. Notetur itaque ex hac scientia, asperam arteriam ad tertiam dorsi vertebram, aut secundam inter et tertiam, in duos ramos, dextrum breuiorem, rectiorem et latiore, atque sinistrum longiorem, obliquiorem et aliquanto graciliorem, diuidi; vtrumque dein ramum, dextrum scilicet ad quartam, sinistrum vero ad quintam vertebram, pulmonem sui lateris adire, adque visceris huius carnem penetrare; dein vero in ramos minores, ramorumque ramulos iterato findi, donec nulla in viscere sedes superfit, quam aliquod bronchium non adeat, atque ipsa exiguitate sua vltimi ramuli aciei oculorum se se subducant. Fabrica bronchiorum eadem est cum arteriae asperae structura, exceptis vnice circellis cartilagineis, paulatim degenerantibus. Confer *Illustr. de HALLER Elementa Physiolog. corporis humani, Tom. III. Libr. VIII. Sect. II. §. XI. et XVI.*

§. III.

Cum nos experientia doceat, asperam arteriam esse irritabilem, superfluum, vt mihi saltem videtur, esset, ex physiologicis hoc

demonstrare. Verum bronchiorum structura eadem est cum arteriae asperae structura, exceptis vnice circellis cartilagineis (§. antec.); cartilagini autem irritabilitas non competit (per obseru.), Ergo bronchiis irritabilitas insit necesse est (per anteced.). Confen- tit cum his experientia.

§. IV.

Irritationem morbosam generatim esse possibilem, docet Pathologia. Fieri enim potest, vt vel causa, irritationem excitans, morbose adaugeatur, vel, hac eadem manente, id, quod eius effectum in statu naturali paullulum imminuit, aut plane abfit, aut mi- tius agat. In vtroque autem casu effectus morborum oriantur, necesse est. Nunc consistit ex §. II. pulmones bronchia ingredi, de quibus §. anteced. ostendimus, irritabilitatem ab iis non esse alienam. Pul- mones itaque irritabiles sunt, atque hinc, irritationem morbosam in illis existere posse, negari nequit. Quoniam vero ab irritatione morbosa partium pulmonis effectus praeternaturales non poterunt non suboriri; sequitur, morbum in pulmonibus possibilem esse, qui a morbosa huius visceris irritatione originem suam trahit.

§. V.

Irritationem morbosam paullo maioris gradus, incommodis quibusdam stipatam esse, extra dubitationis aleam positum est. Do- cet hanc veritatem natura et effectus irritationis, eandemque expe- rientia voto suo frequentius confirmat. Quid ergo nobis de prae- ternaturali pulmonum irritatione dicendum erit? Physiologi euin-
cunt,

cunt, pulmones tam inquam expirationi inseruire, hancque huius visceris actionem a mutua pectoris dilatatione et constrictione pendere, ita, ut istae pectoris mutationes a contractione quoque musculorum quorundam orientur. Innotuit porro ex observationibus, pulmones inter et reliquas corporis partes respiratori inseruientes, consensum obtinere, hac ratione, ut vna adfecta, reliquae etiam inde adficiantur. Quare ab irritatis valde pulmonibus muscoli etiam, respiratori inseruientes, irritari debent. Quando autem in musculo quodam praeter eam causam, vnde naturaliter constringitur, alia adhuc irritans accedit; necesse tunc est, ut validius inde contrahatur musculus. Quamobrem ab irritatis insigniter pulmonibus, musculi, respiratori inseruientes, potenter constringi debebunt. Quoniam autem horum musculorum actio successiua est, ita ut, post musculorum inspirationem efficientium actionem, musculorum expirationem adiuuantium contractio sequatur: verum est, quod concludere illaesa veritate possimus, validam expirationem magnam excipere debere inspirationem. Quum denique morbosam pulmonum supponamus irritationem, huiusque effectus itidem morbosi esse debeant (§. anteced.), quum etiam sub expiratione valida magna cum vi e pulmonibus aer quasi explodatur, atque tandem, ob grauem musculorum irritationem, actio musculorum, expirationem determinantium, celerior paullo euadat: nullum est dubium, quin morbus possibilis sit, qui validam, sonoram, morbosam paulloque celeriolem expirationem, facta prius magna inspiratione, sibi vindicat.

§. VI.

§. VI.

Tussis est exspiratio morboſa, valida, ſonora, paulloque celerior, quam inſpiratio magna praecedit, Quod exspiratio *morboſa* fit, ideo maxime in definitione tuffis adduci meretur, quoniam fieri poteſt, vt quidam valide cum ſonitu paulloque celerius exſpiret, praeuia etiam magna inſpiratione, abſque tuffi. Quod exspiratio *valida* quoque tuffis definitionem ingredi debeat, ex eo perſpicitur, quod in iis, qui inclinant ad ſuffocationem, ſaepe inſpiratio magna cum ſubſequentem morboſa, ſonora & celeriori exſpiratione obtineat, neque tamen dicere poſſimus, quod eiusmodi ſubieſta tuffiant. Non praetereundum quoque eſſe arbitror in definitione tuffis, exſpirationem *paullo celerioſorem* eſſe debere. Etenim gemitus, a morbo pendens, ſupponit morboſam, ſonoram, validam exſpirationem, praegreſſa antea inſpiratione magna comparentem. Gemitus vero non eſt tuffis. Tandem etiam *inſpirationem magnam*, exſpirationem deſcriptam praecedentem, in definienda tuffi conſiderare debemus. Niſi hoc enim fiat, ſingultus potius vocari deberet tuffis, quod parum cum uſu loquendi conſpiraret. Praeterea ope allatae definitionis tuffis quoque a ſternutatione diſtinguitur. Sternutatio ſcilicet, licet maxime cum tuffi conueniat, attamen validioſem longe, imo validiſſimam ſibi vindicat in- & exſpirationem. *Vid. Illuſtr. de HALLER l. c. Sect. IV. §. XXXVI.*

§. VII.

Ex principiis, in antecedentibus ſtabilitis, perſpicere nunc poſſumus, *tuffim non poſſibilem tantum eſſe, ſed eius cauſſam quoque nil eſſe,*



esse, nisi irritationem, quae pulmones quomodocunque afficit. Illud ex definitione tussis, comparata cum iis, quae § V. adduximus, elucescit. Hoc vero tam ex §§. citatis, quam ex vulgari obseruatione patet, qua constat, omnem fere tussim antecedere sensum titillationis, in aspera arteria & bronchiis perceptum. Et quid valida illa pulmonum contractio aliud docet, quam quod pulmonibus causa inhaereat irritans? Ex ista causa tussis demum omnia phaenomena, quae sub eadem comparent, deduci possunt (§. V.).

§. VIII.

Causa tussis est irritatio morbosa (§. VII). Verum irritatio morbosa est causa, a qua effectus quidam producuntur (§. IV.) Ergo sub tussi effectus irritationis morbosae adsint necesse est. Nunc vero eos tantum talis irritationis effectus perpendam, qui in organis secretoriis producuntur. Irritatio scilicet morbosa modo auget, modo supprimit secretionem in organo quodam secretorio. Augeri enim inde potest secretio: quia per irritationem, morbosam potissimum, affluxus humorum versus partes, quas adficit irritatio, dirigitur; vnde, nisi fortiores causae accedant, maior oritur fluidi secreti copia (per Physiol.). Supprimi vero inde potest secretio, quoniam spasmi ad irritationis effectus pertinent, vnde non poterit non suppressio, aut imminutio saltem, fluidi secreti contingere. Irritatio itaque morbosa modo auget, modo imminuit fluidi secreti copiam, quando secretorium quoddam organum affligit. Sub tussi autem irritatio morbosa in pulmonibus obtinet (§. antec.). Ergo cum tussi

B

modo

modo aucta, modo suppressa secretio coniuncta esse potest, si bronchia organa fuerint secretoria. Quod vero in bronchiis secernatur mucus, nemo facile negabit, qui Physiologiam callet. Experimenta quoque anatomica nos quam maxime de hac veritate conuincunt. Constat enim per iniectiones anatomicas, fluidum, arteriae pulmonali immisum, facillime in bronchia pulmonumque vesicularem substantiam transire. Vid. *Illustr. de HALLER l. c. Sect. II. §. XXI.* Hinc etiam mihi exinde concludere licebit, cum tussi modo minorem, modo maiorem secretionem mucii, quam sub sanitatis statu in bronchiis deprehendimus, coniunctam esse posse.

§. IX.

Quum ex ipsa tussis definitione intelligatur, tussim cum magna expiratione esse coniunctam, & a motu validissimo partium, respirationi interuenientium, pendere (§§. V. VII.); facile hinc perspicere potest, quod aër cum vi notabili e pulmonibus egredi sub tussi debeat (§. VI.). Aër vero sub expiratione per bronchia ad asperam arteriam abit, quae circa fauces terminatur, omnia mobilia secum abripiens, quae in bronchiis offendit, cum notabili imprimis impetu erumpens. Demonstrauimus porro (§. antec.), in bronchiis fieri secretionem mucii, quae sub tussi vel suppressi, vel augeri possit. Necesse itaque est, ut sub tussi modo aucta, modo imminuta mucii, in bronchiis secreti, excretio contingat. Elucescit exinde, quid tussis sit humida & sicca?

§. X.

Tussis causa est omne, quod bronchia morbose irritat (§ VII.), quae cum reliquis viribus, respirationi dicatis, consentiant, docente
id

id experientia (§ V.). Verum pars, cum alia consentiens, si irritetur, efficit, ut irritatio cum ea, qua cum consentit, communicetur (per Pathol.). Quod si ergo vires, respirationem efficientes, morbose irriterentur, fieri tunc potest, ut haec irritatio ad bronchia propagetur, & tussis hinc (§ VII.) ob consensum, seu sympathiam partium, producat. Verum praeter hanc irritationem, aliunde quasi ad bronchia deductam, aliam concipere possumus, bronchia primario adficientem. Quare omnis tussis provenit a causa, vel in ipsis pulmonibus haerente, vel in aliis partibus, respirationi inseruiemibus, latitante, in bronchia tamen ope consensus, qui has inter partes deprehenditur, agente. Experientia ab hoc asserto plane non est aliena.

§. XI.

Quum itaque tussis oriri & generari possit, quamvis eius causa materialis pulmonibus non insit (§ anteced.); elucescit exinde veritas propositionis, quam habet *Illustr. de HALLER l. c. Sect. IV. §. XXXV.* *Tussis causa est stimulus quicumque, qui aut in diaphragmate, aut in pulmone & in vesiculis ipsis, aut in bronchiorum maioribus ramis, aut in aspera arteria, aut in larynge haeret, aut in ima demum pharynge supra glottidem.* Orum tussis, ab istis causis proficiscentis, nemo non facile perspiciet, qui tradita §. anteced. rite perpendit.

§. XII.

Quum porro tussis sicca & humida sub eodem genere comprehendantur (§. IX.), atque hinc utriusque id competat, quod de ge-

nere praedicari potest: sequitur, tam humidam, quam siccam tussim modo ob consensum, modo ob pulmones, primario adfectos, oriri debere (§§. X. XI). Quoniam autem nimis valida partis irritatio secretionem fluidi in eadem supprimit (per Pathol.), sub humida vero tussi secretio mucii in bronchiis cessare non debet (§. IX.): colligimus inde, causam humidae tussis, generatim consideratam, minori vi irritante instructam esse debere, quam qua ea gaudet, vnde sicca tussis proficiscitur. Conf. §. XIII.

§. XIII.

Ex antecedentibus (§. IX.) colligere possumus, quod *fluida acria*, vel ad pulmones delata, vel in his visceribus nata, tussim producere queant. Omnia enim acria irritantem exerunt effectum, quando ad partes, quae irritabiles sunt, deferuntur. Verum ostendimus iam (§. III.), pulmones esse irritabiles ob bronchia, quae viscus hoc adeunt. Ergo a materiae cuiusdam irritantis, pulmonibus inhaerentis, praesentia ad tussis existentiam concludere possumus. *Sanguis* etiam nimium in pulmonibus accumulatus, eodem fere modo hanc mutationem pulmonibus inducere potest. Per accumulationem scilicet eius vasa quam maxime expanduntur. Quum iam sanguis, quatenus & impetu gaudet, & calidus est, irritandi potentia praeditus sit: sequitur, sanguinem nimium ad pulmones delatum, tussim producere posse. Denique *corpora peregrina* eundem effectum in bronchiis excitare posse, ex eo elucescit, quoniam ab his eadem ratione, vt modo docuimus, bronchia sollicitantur.

§. XIV.

§. XIV.

Docent obseruationes *Sydenhamianae*, aliorumque Virorum, qui tempestatum notarunt vicissitudines, quod certis anni temporibus aëris talis sit constitutio, vt insignis hominum, eodem in loco vitam degentium, caterua a certo quodam morbo, minus alias ita adeo familiari, afficiatur. Similia nobis interdum obseruare licet, quando, praeter aërem, aliae morborum caussae, magis vniuersales, hanc vel illam terrae regionem inuadunt. Hac ratione saepe incedunt pleuritis, angina, catarrhi, febres exanthematicae, febres intermittentes, pestis, variolae, morbilli, morus spasmodici vagi, dysenteria, apoplexiae, aliique, quorum satis vastum catalogum exhibet Pathologia. Isthis morbis, vtpote ab aliis satis diuersis, *epidemicorum* nomen tribuerunt Medici. Igitur dubitare haud possumus, *morbos epidemicos esse possibiles*.

§. XV.

Non mirabitur horum morborum (§ anteced.) ortum, qui ad ea, quae circa aërem, resque, quas assumimus, frequentissime contingunt, rite attendit. Quantas enim aër subit mutationes, cuius praeuae vicissitudines non poterunt non infensissimae esse corpori nostro! Aër scilicet, ob admixtas aqueas particulas, menstruum est, cuius late patet imperium. Quam facile hinc corporum subtiliores partes suscipit? Quam facile has, corpus nostrum continuo cingens, nobis infert? cum vero harum exhalationum natura tantopere a sana fluidorum nostrorum iudole differat: facile intelligitur, quam nociua, quam pestifera earum ad corporis nostri interiora delatio sanitati humanae

esse debeat. Ut de eo nil dicam, quod eiusmodi particulae, venenorum saepe modo, vasa peripherica, quae attingunt, valde constriungant, atque sic adeo salubrem excretionem suppriment. Dein etiam aëris ingentes, respectu grauitatis, leuitatis, caloris, frigoris, humiditatis & siccitatis, commutationes, varia corpori nostro adferunt incommoda, vt mirum non sit, si ab eiusmodi aëris constitutionibus morbi epidemici excludantur, licet fatendum nobis sit, quod, causas eorum exacte exponere, negotium sit longe vltra humanitatis sphaeram exportectum. Quum itaque aëris mutationes tam foecundae sint morborum epidemicorum genitricis: absque difficultate patet, istos morbos tunc potissimum oportere subnasci, quando aëris mutationes maxime sunt solemnes. Tempus itaque vernum & autumnale ad hos morbos producendos plerumque maxime esse idoneum, celeberrimi Viri adnotarunt, cum notum sit, nunquam magis, quam his temporibus, tempestates mutari. Modo enim nimiam & diuturnam pluuiam excipit aestus, per aliquot dies durans, cui postea insuetum frigus succedere solet; modo cum rore & nebula, praedictis annitemporibus maxime familiaribus, exhalationes, naturae humanae infensissimae, descendant, & corpori nostro inferuntur; vnde, accedente insuper adeo consueta hominum negligentia, morbi epidemici suam solent originem sumere. Praeter vero aërem, aliae quoque causae morbis epidemicis fauent, quamuis recte affirmetur, aë em principem inter eas tenere locum. Referri huc potissimum meretur corporum, quibus ciborum & potuum instar vtimur, corruptio. Obseruamus enim, tempore autumnali, a fructibus ad fermentationem
p. onis

pronis & inquinatis dysenteriam epidemicam saepe oriri, atque neminem fugit, epidemiam motuum spasmodico-convulsuorum vagorum a frumenti corruptione subnatam esse, quam in singularibus Scriptis varii nobis exposuerunt Medici. Haec aliaque, quae fusius dici possent, nisi in Pathologia tractarentur, satis euincere possunt, quomodo fiat, ut morbi epidemici tam frequenter occurrant.

§. XVI.

Fieri potest, ut morbi epidemici ob aëris acrimoniam oriantur (§. anteced.). Aër vero continuo ad pulmones defertur sub inspiratione (per Physiol), atque si acris fuerit, causa fit tussis (§. XIII.). quamobrem constat, tussim epidemicam esse possibilem. Quoniam nunc porro diuersi acrimoniae, qua adficitur aër, gradus possibiles sunt: nullum est dubium, quin etiam *tussis epidemica humida subnasci queat* (§. XII.).

§. XVII.

Diximus modo (§. anteced.) aërem acrem hanc tussim epidemicam, de qua disputamus, producere. Ne vero B. L. ideo mihi inane moueat litem: pauca quaedam momenta adiungam, per quae tradita tam explicantur, quam corroborantur. Non abimus ergo I. aërem, male constitutum, ad efficiendam humidam tussim epidemicam necessario requiri. Quamuis enim aliae quoque causae dentur, acrimoniam humoribus nostris inducentes, eae ipsae tamen tussim epidemicam humidam nunquam producere visae sunt, licet alii morbi epidemici, humorum acrimoniam pro sua causa agnoscentes, exinde suscitati sint. II. Aërem, qui epidemicam tussim producit, semper depre-

hendi

hendi acrem. Vnde concludimus III. hanc aëris constitutionem veram esse tussis epidemicae humidæ causam, quamvis non negemus, alias causas simul accedere posse. Denique tenendum est IV. acrimoniam aëris non ideo tantum efficere tussim epidemicam, quod, ad pulmones delatus, viscus hoc irritat, verum minuit quoque transpirationem; resorbetur ad massam humorum; inquit fluida nostra, sanguinemque copiosius ad pulmones inuitat. Vnde satis patens tussis exiit causa (§ XIII). Quare etiam V. omne, quod acrimoniam humorum maiorem reddit, sanguinemque validius ad pulmones congerit, prædictam tussis epidemicae causam adauget ita, vt haec & citius, & grauius suum effectum ad actum deducat. Patent exinde tempora, quæ huic epidemicae tussi maxime fauent. Verum de his iam §. XIV. locuti sumus.

§. XVIII.

Quid autem generali huic tussis epidemicae causæ (§§. XVI. XVII.) accedere debet, vt tussis humida euadat? Notatum quidem est §. XII, tussim humidam generatim minorem irritationem supponere. Quum vero irritatio variis modis imminui queat: iuuabit, maxime grauiâ hic notare momenta, vnde haec causa tussim humidam potius, quam siccam producat. Pertinet huc I. aër ipse, quatenus minus est acris. Tunc enim sanguinem copiosorem ad pulmones allicit, atque mucî secretionem adauget in bronchiis, cum spasmus & vasorum contractio nonnisi grauioris irritamenti effectus sint. In hoc itaque casu omnes istae determinationes adsunt, quæ ad genesis tussis humidæ requiruntur (§§. VII. IX). II. Aër acris, minus siccus, sed hu-

humiditate potius peccans. Humiditas enim non solum aëris acrimoniam obtemperat; sed relaxat quoque pulmones, vnde fit, vt spasmus & contractio vasorum pulmonalium praepediatur (n. I). III. Laxitas vasorum pulmonalium. Laxitas enim oppositum est constrictio- nis. Quando igitur in vasa laxa causa constringens agit: fieri tunc aliter non potest, quin effectus, a causa ista pendens, imminuatur, hinc minor vel nulla constrictio oriatur. Quare laxitas vasorum pul- monalium, accedente tussis causa, humidae potius, quam siccae fauet (§§ VIII. IX.). IV. Abundantia mucii. Eiusmodi enim subiecta, in quibus abundantia mucii obtinet, non solum prae ceteris laxitate va- sorum laborant (n. III.), verum ipse mucus acrimoniam aëris delini- re potest (n. I. II.). Hinc iam temperamentorum summa hac in re potestas adparet. Subiecta itaque laxa et pituitosa eam habent cor- poris dispositionem, quae ad producendam tussim humidam requiri- tur. Vid. *Illustr. HOFFMANNI Fund. Pathol. special. pag. 433.*

§. XIX.

Cum ex antecedentibus causae tussis humidae epidemicae suffi- cienter constent, eius iam effectus, in corpus humanum redundantes, considerari debent. Non quidem de iis huius tussis effectibus dicen- dum nunc est, quos cum aliis habet communes. Verum isti prae ce- teris effectus considerandi veniunt, qui humidae tussis epidemicae spe- ciatim competunt, & cum proposito nostro conspirant.

§. XX.

In explicandis effectibus, a tussis humida epidemica pendentibus, ea tantum in memoriam reuocare debemus, quae in superioribus de natura eius & causa allata sunt. Tussis humida supponit largiorem

C

mucii

muci, in bronchiis secreti, excretionem (§. VIII.). Mucus vero est materia viscosa. Ergo tussis humida generatim, consequenter & ea, quam epidemicam dicimus, materiam viscosam, in pulmonibus residentem, eliminabit. Praeterea vero causa tussis humidae epidemicae est materia acris (§. XVI. seqq.), quae in pulmonibus restagnat, atque idcirco suam acrimoniam cum mucos quoque, in his partibus secreto, communicavit. Quare constat, eliminationem materiae viscidae & acris generalem esse tussis epidemicae humidae effectum.

§. XXI.

Ex generali illo, quem §. anteced. considerauimus, tussis humidae epidemicae effectu, facile deducitur, hanc tussis speciem *stasin mucosae in variis pulmonum locis impedire*. Notauimus iam (§. VIII.), in pulmonibus secretionem mucosae perfici, idemque ex congruis deduximus principis. Diximus dein, hanc secretionem, grassante tussi epidemica humida, adaugeri (§. XVIII.), atque, eadem rite succedente, largiorem mucosae excretionem pedissequam habere (§. XX.). Concipere igitur, omnes has determinationes, vnicè excepta largiore excretionem mucosae, in subiecto quodam adesse, necesse tunc erit, vt excretio mucosae copiosiori eiusdem secretioni non respondeat. Tunc vero, perdurante vterius secretionem mucosae, fieri non potest, vt in Pathologia ostendi debet, quin mucus superfluous quiescat, adeoque stasin in pulmonibus concipiat. Ergo tussis humida epidemica impedit, quo minus stases mucosae in pulmonibus contingant.

§. XXII.

Quando tussis humida epidemica grassatur, aëris tunc acrimonia obtinet, cui hominum corpora exposita sunt (§. XV. XVI. XVI.).

Fit

Fit hinc, vt transpiratio laedatur, & acre illud nocium, in aëre hospitans, ad massam humorum resorbeat (§ XVII); vnde acrimonia in fluidis nostris generetur necesse est (per Patholog). Nullum igitur erit dubium, quin sub grassatione tussis humidae epidemicae acrimonia humorum praesens sit. Verum acre, humoribus nostris inexistens, causa est febris motuumque febrilium (per Patholog.). Quare sub tussi humida epidemica motus saltem febriles adesse debent, quod etiam testatur experientia. Quum vero cessante causa, cesser effectus inde producendus; sequitur, vt, si acrimonia ista imminuatur, febrile quoque motus, cum tussi humida epidemica connexi, decrescant. Nunc, congrue succedente tussi humida epidemica, excernitur massa viscosa & acris (§ XX.). Ergo ab ipsa hac tussi febriles motus, simul praesentes, imminuantur necesse est, quibus incrementum contra ea accedit, quamprimum tussis, ceteris in corpore iisdem manentibus, minus rite procedit. Quamobrem tussis humida epidemica incrementum motuum febrilium, consequenter ortum etiam febris typicae catarrhalis praecauet.

§. XXIII.

Inter affectus, qui in pulmonibus suboriri possunt, non infimum tener locum *Peripneumonia*, quae vel *vera* est, vel *spuria* seu *notba*. Spuria mitioribus symptomatibus est stipata, quam vera, seque per signa, peripneumoniae verae symptomatibus satis similia, atque febrem paulo leuiorem manifestat. Facile elucescit, spuriam hanc peripneumoniam debere suboriri, quando in pulmonibus grauior paulo muc stagnatio gignitur ita, vt causa simul adsit, vnde febris accenditur. Vid. BOERHAAVI *Aphorism. de cognoscendis & curand. morbis* §. 867.

ELLERI *Observationes de cognoscendis & curand. morbis praesert. acut. Sect. VII.* Verum enim vero, demonstrauimus, tussim epidemicam humidam impeditam, & oppletionem pectoris, a mucositate factam, & febrem typicam excitare (§§. XXI. XXII.); iusto contra ea modo sese habentem, utrumque symptoma praecauere (§§. cit.). Sicuti ergo eiusmodi tussis minus rite tractata, peripneumoniae nothae ortum dare potest; ita eadem, recto, ut sic loquar, tramite incedens, peripneumoniam notham praecauet. Spuria autem peripneumonia ab impedita tussi hac epidemica eo facilius contingere debet, quo certius est, quod causae, tempora & subiecta tussis epidemicae humidae, cum causis, temporibus, & subiectis Peripneumoniae nothae conueniant. Vid. BOERHAAVIVS & ELLERVS I. c.

§. XXIV.

Ad numerum morborum, quos tussis epidemica humida praecauet, iure etiam referri potest *Asthma*. Diuiditur hoc in *defectiuum* & *actiuum* seu *spasticum*. Defectiuum vero rursus dispescitur in *siccum* & *humidum*, pro varietate scilicet causarum, unde prouenit asthma defectiuum. Nunc quidem generatim in omnibus fere his speciebus praecauendis, non ita insalubre erit hocce naturae conamen, tussis nempe epidemica: potissimum tamen eius utilitas asthma humidum respicit, omnesque, quae huic subsunt, species, cum causa asthmatis humidi sit materia mucida acris, nonnunquam circa pectus copiosius collecta. Quum nempe per tussim humidam epidemicam materia viscida & acris excernatur (§. XX.), nullum erit dubium, quin *asthma humidum* eiusmodi tussis praecauet.

§. XXV.

§. XXV.

Verum enim vero in indagandis morbis, quorum sedes est in pulmonibus, quique ab humida epidemica tussi praecauentur, *tophi pulmonum* etiam omittendi non sunt. Euisum nimirum datur in Pathologia, quod tophi pulmonum a quacunque materia fluida stagnante, spissa successiue reddita, oriuntur. Omne igitur id, quod impedit, quo minus stagnatio materiae, quae sibi relicta lenta iam est & glutinosa, in pulmonibus contingat, causa erit, ortum tophorum in pulmonibus praecauens. Atqui ostensum est §. XXI, tussim epidemicam humidam praecauere stasin mucii, utpote materiae lentescens, in pulmonibus. Verum itaque erit, quod tussis epidemica humida tophos pulmonum praecauentur.

§. XXVI.

Denique etiam de tussi epidemica humida affirmari potest, quod praecauentur *tubercula pulmonalem, & polyposas concrecentias*. Phthisis pulmonalis a diuturna humorum stasi indeque pendente pulmonum laesione tubnascitur. Quoniam nunc tussis epidemica humida eiusmodi stasin praecauent (§. XXI): sequitur, eandem phthisin quoque pulmonalem praecauere. Atque quum polyposae etiam concrecentiae oriri queant, quando lentus humor diu immeabilis haeret in vasorum cauo (per Patholog): hae quoque concrecentiae simili ratione, ut modo de phthisi pulmonali euicimus, a tussi humida epidemica praecauentur.

§. XXVII.

Qui recensitos hactenus, quorum ortus per humidam epidemicam tussim praepeditur, morbos rite attendit, facile, credo, perspiciet,

plures adhuc ex ante adductis absque multa opera posse deriuari, qui tanquam priorum effectus considerari queunt. Superfluum autem esse arbitror, omnes istos percurrere affectus, vtilitatemque tussis humidae epidemicae in iis demonstrare. Quilibet enim, qui ad effectus, de tussi praedicatos, attentionem suam dirigit, facile etiam alios, exinde deducendos, explicare potest. Pauca nunc dictis adiiciam, vt haec inde clariora adhuc reddantur,

§. XXVIII.

Notabimus enim I. *tussim epidemicam siccam minus corpori nostro esse salutarem*. Nihil enim, vel parum ope eiusdem e corpore nostro eliminatur (§. IX.) II. *Tussim equidem humidam multos etiam morbos, in superioribus adductos, licet non sit epidemica, praecauere: epidemicam vero eosdem quasi per eminentiam impedire*, quum sub eiusmodi epidemica constitutione plerique antea adnotatorum morborum longe facilius oriuntur. III. Licet tussis epidemica humida morbos satis graues omnino praecaveat; *non ideo tamen statui debet, ad eandem tollendam nulla remedia a Medico esse adhibenda*. Nam IV. *illa ipsa satis multa incommoda aegrotantibus creat, idque noctu potissimum, immo, diutius durans, pulmonibus morbosam dispositionem inferre potest, congerendo sanguinem ad pulmones, hosque inde valdopere debilitando*. Quid? quod V. *multo, quam pulmones, aptiora dantur in corpore humano loca, per quae acrimonia humorum eiici & minus excerni potest*. Quare etiam VI. *tussim humidam epidemicam pro morbo adeo salutari generatim venditare non debemus*, licet VII. *Medicum ab usu remediumum suppressorium tussim abstinere oporteat*, quum, si eiusmodi remedia adhibere vellet, praedicti morbi (§§. XXI. seqq.) producerentur. Ergo (§. VIII.) *Medicus ita circa hanc tussim verferet, vt in ea sananda talem eligat methodum, unde noxii huius tussis effectus, salutaribus simul impetratis, praepediuntur*.

§. XXIX.

Hinc iam (§. anteced. n. VIII.) sequentes resultant indicationes: I. *Excretio mucis per remedia adpropriata, si languescere videatur, atque hinc incommodum, §. XXI. denotatum, adpareat, adiuuetur*. II. *Eo vero sumo acutatur Medicus, vt humorum depositio ad loca minus nobilia vergat*. III. *Motuum febrilium impetus refraguetur*. IV. *Quodsi fiat, vt tussis nimium urgeat, neque alia contraindicantia adfuerint, leniora consopien-*

pienia adhiberi possunt. V. *Morbo denique sublato, pectus roborantia vsurpentur.*

§. XXX.

Primae indicationi inferuiunt obnoluentia, incidentia, leniterque pulmones excitantia. Pertinent huc v. g. radices, Helen. Pimp. alb. Ari, Liquirit. herbae, Tussilag. Hyssop. Chaerefol. Veronic. Semina, Anif. stellat. Sales mediae naturae, Tincturae alcalinae mitiores, v. g. Tinct. Tartar. sapon. cum Ess. Succin. remixta, aliaque. Secundam indicationem adimplent laxantia, diaphoretica & diuretica. Laxantibus, si tis notis, addi possunt, quae specificè quasi mucum a pectore deriuant, Sulphur nimirum antimon. aurat. vitim. praecipitat. Gummi ammoniac. Squilla, & quae ex hac parantur. Diaphoresin promouent infusa calida, ex ingredientibus superius adnotatis parata, Essent. alexipharmaca temperata, & pulueres, quos antimon. diaphor. aut sulphur antimonii aurat. vitim. praecipitat. ingreditur. Diureticum denique effectum edunt sales mediae naturae, Essent. Succini, Tinct. Tartari sapon. aliaque. Tertiae indicationi satisfacimus vsu puluerum temperantium, addendo scilicet Nitrum pulueribus modo commendatis. Haec indicata tempore vespertino potissimum exhiberi debent, omisso interea Essentiarum & Tincturarum vsu. Quartae respondent mitiora anodyna & Crocus, pectori amicissimus. Haec autem sub notis cautelis in vsum vocentur; metuendi enim alias sunt insultus catarrhi suffocatiui. Quintam denique indicationem optime exsequimur vsu herbar. pectus roborantium, Veronicæ imprimis, adiectis iisdem aromatibus blandioribus, in forma infusorum calidorum, itemque corticis Cascarillae, tam in puluere, quam essentia. Eidem scopo impetrando inferuiunt quoque deriuantia, post morbum etiam sublato per aliquod tempus adhuc continuata.

§. XXXI.

Ex istis, quae nunc §. proxime antecedenti de curatione epidemicae huius tussis, & in superioribus de eius causis & natura dicta sunt, methodus facile innotescere potest, per quam sub epidemia quadam eandem praecauere possimus. Neque minus diaeta aegrorum vitaeque regimen, ab illis sub hoc morbo obseruandum, exinde patet, vt itaque de istis momentis plura adferre non opus sit. Quodsi autem vnus aut alter morbus a suppressa tussi hac humida non determinatus sit: secundum eam is sanari debet methodum, quae de quolibet horum morborum fusc supeditatur in Therapia.

T A N T V M.



Freund, dem Hygea jetzt erworbn Lorbeern reicher,
Wie reizet mich Dein Glück, das meinen Wünschen gleicht!
Kaum bricht ein Stral des Lichts so reizend durch die Nacht,
Als ungewonte Lust die Seele heiter macht;
Zwar Du verlässest mich, es drohet meiner Freude
Ganz nah ein trüber Tag, geschaffen mir zum Leide;
Jedoch jetzt ist es Pflicht, daß Liebe, die mich füllt,
Den zärtlich regen Trieb mit frommen Wünschen stillt.
Ganz ist mein Herz schon Dein, ich kann nichts guts empfangen,
Das Dir mein Herz nicht wünscht; sonst sterbe mein Verlangen.
Nie täusche mich ein Reiz, der Deine Ruh vergällt,
Der Dir nicht Beifall raubt, mir werther als die Welt.
Nie laß der Himmel mich ein ödes Glück genießen,
Da Freuden nicht zugleich Dein und mein Herz durchfließen.
O schätzeest Du solch Herz; so hoffe vom Geschick,
Was treuen Seelen blüht, das ausgesuchteste Glück.

Geh hin, mit Heil gekrönt, und überströmt mit Seegen,
Mit jedem jungen Tag lacht Wonne Dir entgegen.
So oft Aurorens Stral im flüssigen Purpur wallt,
Erneure sich Dein Glück, und werde niemals alt,
Und wie ihr Nektar früh die Frühlingskinder tränket,
So blüh Dir süße Lust, die trüber Gram nicht kränket.
Die Wünsche sind erfüllt, Du trägst ein Heiligthum
Der edeln Seele mit, Dein und zugleich mein Ruhm;
Dein zärtlich schätzbar Herz läßt Dir das Beste hoffen,
So lang es zärtlich schlägt, steht mir ein Eden offen.
Du trägest in Dir selbst Dein höchstunschätzbar Glück,
Vermehr es, teil es mit, denk an den Freund zurück.

IOH. FR. AVG. KINDERLING,
aus Magdeburg, d. G. G. B.

Diss. med. Hal.

g. 1763/64.


ULB Halle

005 379 296

3







Farbkarte #13

B.I.G.

AVGVRALIS MEDICA
DE

S · S · I
E P I D E M I C A
P R A E C A V E N T E

QVAM
S DIVINI NVMINIS
CONSENSV GRATIOSAE
TIS MEDICAE
AESIDE
TISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

LIA BÜCHNERO


I IMPERII NOBILI
REGIS CONSILIARIO INTIMO
LIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO, FACVLTTATIS
MNORVM EPHORO, IMPERIALIS ACADEMIAE
EGLIAR. SOCIETAT. SCIENTIAR. ANGLICAN.
COMITE PALATINO CAESAREO,

R O
D O C T O R I S
HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
RVM LEGITIME CONSEQVENDIS

A. S. R. c1800cclxiii.

DEFENDET

CTOR
ANNVS OSPERKAVS
GVESTPHALVS.



ICAE, LITTERIS BEYERIANIS.

